

non obediri, quod tam de sententia quam de lege, seu statuto intelligi potest. Imo, in lege penult., ff. de Just. et jur., dicitur iudex jus reddere, etiam cum inique decernit, non habito respectu ad id quod facit, sed ad id quod facere debet. Præterea hoc modo dicitur iudex subditum in jus vocare, utique juris exponendi causa, ut dicitur in libro 1, ff. de in jus vocando. Quamvis posset illud intelligi de vocatione ad locum iudicii. Nam vox hæc etiam ad significandum locum, in quo iudicium exercetur, translata est, ut notatur in eadem lege penult., ff. de Justitia et jure, unde apud Latinos, *ire in jus*, idem est quod ad Prætorium, seu sedem prætoris ire, ut ex Donatiano Victore et multis juristis notat Brissonius supra: imo et divus Thomas supra, ad 1, ita interpretatur, cum dicitur aliquis comparere in jure; ubi addit etiam aliam significationem hujus vocis: nam ipsa etiam ars, qua discernitur quid sit justum, dicit aliquando vocari jus. Et sic tacite videtur exponere dictam leg. 1, ff. de Justitia et jure, ubi Ulpianus refert et probat definitionem Celsi dicentis, *jus est ars boni et æqui*: nam hæc definitio non tam ipsi legi quam jurisprudentiæ convenire videtur, nisi ars late sumatur pro quacumque ratione, seu mensura operationis.

9. *Quomodo jus distinguatur ab æquo et bono.* — Duo tandem supersunt declaranda. Unum est, quomodo jus interdum ab æquo et bono distinguatur, si nihil aliud est jus quam ipsum justum, quod etiam est ipsum æquum et bonum: vel, si sumatur pro lege, est ratio ipsius boni et justi, ut diximus. Illa autem distinctio juris, ab æquo et bono, constat ex multis, quæ refert Ludovicus Viv., in Schol. ad Augustinum, libro secundo, de Civitate, capite decimo-septimo. Sic enim dixit Quintilianus, libro quarto: *Judicis natura noscenda est, juri magis, an æquo sit opposita*; et libro sexto, *jure pugnandum, an æquo?* et Cicero, in Bruto: *Crassus multa tum contra scriptum pro æquo et bono dixit.* Hanc ergo dubitationem proponit Aristoteles, quinto Ethic., capite decimo, et in summa respondet æquitatem esse justi emendationem. Ad quod intelligendum, voces justi et æqui, et justitiæ ac æquitatis distinguendæ sunt. Duplex est enim justum: unum naturale, quod est rectum secundum naturalem rationem, quod nunquam deficit, si ratio non erret: aliud est justum legale, id est, quod lege humana constituitur, et hoc, licet in universali justum sit, solet in particulari deficere. Nec propterea lex injusta est, quia

necesse est universaliter ferri: defectus autem (ait Aristoteles) non ex legislatore, sed ex materia ipsa provenit. Et juxta hoc duplex justum, duplex cum proportionem potest distingui justitia: eodemque modo dupliciter solet accipi æquitas, uno modo pro æquitate naturali, quæ eadem est cum justitia naturali, et illi respondet æquum, prout idem est, quod justum naturale; et in hoc sensu loquuntur sæpe civilia jura de æquitate naturali, ut in libro 1, § *Si filius*, ff. de Suis et legit. hæred.: *Naturali æquitate nepotes in filiorum locum succedunt*; et lib. 1, ff. de Requir. reis: *Æquitatis ratio non patitur inaudita causa quem condemnari.* Et huic æquitati respondet æquum generaliter dictum: sicque dicitur in lib. *Nam hoc*, ff. de Cond. indebiti: *Hoc natura æquum est, neminem cum alterius nocumento locupletari.* Atque æquitas hoc modo sumpta non est emendatio juris, sed potius origo seu regula ipsius, juxta l. 91, ff. de Reg. jur.: *In omnibus, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est.*

10. Alio vero modo sumitur æquitas pro prudenti moderatione legis scriptæ præter rigorem verborum ejus, et sic dicitur opponi stricto juri, in l. 2, § *Item*, ff. de Aqua pluvia arcen., sicque dixit Terentius: *Inter jus et æquitatem hoc interest, jus est, quod omnia recta et inflexibilia exigit: æquitas est, quæ de jure multum remittit.* Et ab æquitate sic sumpta dicitur etiam quasi per antonomasiam æquum et bonum, quod in se quidem tale est, licet a verbis legis discordare videatur. Et sic sumpsit Aristoteles æquitatem, cum illam dixit esse emendationem justi, utique legalis, virtutemque a qua procedit hic actus vocavit epikiam, de qua disputat etiam divus Thomas secunda secundæ, quæst. 120. Ad illam enim spectat contra verba legis humanæ agere in particulari, quando illam servare esset contra naturalem æquitatem, tuncque iudex dicitur non agere jure, utique materialiter, et ut sonat, sed agere æquo et bono, quod est, jus ipsum juxta intentionem ejus servare, et contrarium agere esset jus violare, juxta illud Justin., cod. de Leg.: *Non dubium est in legem committere eum qui, verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem*; et ideo fortasse jurisprudentia dicta est ars boni et æqui, quod in legibus interpretandis bonum et æquum semper intueri debet, etiam si interdum oporteat verborum rigorem temperare, ne ab æquo et bono naturali discedatur. Plura de hac re vide in Covarro, in reg. Possessor, part. 2, § 6, n. 3.

11. *De distinctione inter jus et fas.* — Alterum declarandum est, quid sit fas, et quomodo ad jus et legem comparetur. Ait enim Isidorus, quinto Etymolog., capite secundo: *Fas lex divina est, jus humana*, et habetur etiam distinctione prima, capite primo, ubi hoc exemplo explicatur: *Transire per agrum alienum fas est, jus non est.* Hæc autem videntur intelligenda juxta dicta in proximo puncto, ut ibi jus strictè sumatur pro lege scripta: fas autem pro æquitate, et quasi justa exceptione. Ut in dicto exemplo transire per alienum agrum dicitur non esse jus, quia nimirum lex humana per se potius prohibet illum transitum: tamen si ex rationabili causa absque detrimento fiat, fas est, seu licitum est. Atque ita explicuit Glossa ibi, et Henricus, quodlib. nono, quæstione secunda; at vero D. Thomas, secunda secundæ, quæstione quinquagesima-septima, articulo primo ad ultimum, aliter illa verba exponit. Vult enim, nomen juris secundum quamdam specialem proprietatem magis convenire legibus, quæ ordinantur ad homines inter se, quam legibus, quæ ordinantur hominem ad Deum, quia Deo non possumus reddere æquale, et ideo, inquit, respectu Dei potius fas quam jus appellatur lex. Sed quidquid sit de hac proprietate, quæ non est ab usu Latinorum aliena, Isidorus non appellat fas legem divinam, eo quod circa debitum Deo reddendum disponat; sed quia in naturali æquitate, atque adeo in ratione naturali, quæ lex divina est, nititur. Omissis autem metaphoricis significationibus et distinctionibus, quæ in præsentī instituto non deserviunt, nunc de jure in secunda et propria significatione generaliter loquimur, sicque cum lege convertitur, prout nunc etiam de illa universaliter tractamus.

CAPUT III.

QUANTA SIT NECESSITAS ET VARIETAS LEGUM.

1. Explicatis nominibus juris et legis, antequam inquiramus quid lex sit, oportet prius ostendere illam esse; quod optime fiet ejus necessitatem declarando, quia in his rebus ad institutionem morum pertinentibus, nec aliquid superfluum admittendum est, neque id quod necessarium est deesse potest. Solet autem distingui duplex necessitas: una absoluta, secundum quam dicitur res aliqua per se, et propter se simpliciter necessaria: quomodo Deus habet necessitatem essendi secundum

existentiam actualem, de qua loquimur: alia est necessitas respectiva in ordine ad aliquem finem, vel effectum, quæ duplex subdistinguitur: nam quædam est necessitas simpliciter; alia ad melius esse, quæ proprius est utilitas.

2. *Lex absolute non fuit necessaria.* — Duo ergo in generali videntur certa. Primum est, necessitatem absolutam legi non convenire, quatenus lex est. Probatur, quia talis necessitas est propria Dei, qui solus est ens per se, et absolute necessarium: lex autem omnis vel est aliquid creatum, vel certe supponit aliquam creaturam, propter quam feratur, Deus enim non est capax legis: ergo sicut creatura non est simpliciter necessaria, ita neque lex: Ad præterea, loquendo de propria lege, de qua nunc agimus, tantum esse posse propter creaturam rationalem: nam lex non imponitur, nisi naturæ liberæ, nec habet pro materia nisi actus liberos, ut infra videbimus; ergo non potest esse magis necessaria lex, quam sit rationalis, vel intellectualis creatura: at creatura rationalis non habet absolutam necessitatem essendi: ergo nec lex habet hujusmodi necessitatem. Solum poterat hic oriri dubium de lege æterna, quam nunc esse suppono: illa enim est Deus ipse, et ideo est tam immutabilis et æterna, sicut ipse, ac subinde tam necessaria. Sed dico breviter rem illam, quæ est lex æterna, esse absolute necessariam, ut probat argumentum: tamen sub ratione legis non habere absolutam necessitatem, quia includit respectum liberum, ut infra ostendam.

3. *Lex supposita creatione creaturæ rationalis fuit utilis, et absolute necessaria necessitate finis.* — Dico secundo: Supposita creatione rationalium creaturarum, lex fuit necessaria necessitate finis, tam simpliciter quam ad melius esse. Hæc veritas est tanquam principium per se notum in hac materia, et quoad priorem partem de necessitate simpliciter declarari potest, quia intellectualis creatura eo ipso quod creatura est, superiorem habet, cujus providentiæ et ordini subjaceat, et quia intellectualis est, capax est gubernationis moralis, quæ fit per imperium: ergo connaturale est et necessarium tali creaturæ, ut subdatur alicui superiori, a quo per imperium seu legem regatur. Item talis creatura eo ipso quod ex nihilo facta est, flecti potest ad bonum et malum, ut ex communi Patrum sententia nunc suppono: ergo non solum es capax legis, qua dirigatur ad bonum, et arceatur a malo, sed etiam aliqua talis lex est illi simpliciter necessaria, ut convenienter suæ naturæ vivere

possit. Vel etiam a contrario possumus argumentari: nam qui caret lege peccare non potest: rationalis autem creatura potestatem habet peccandi: ergo et legi necessario subdita est. Nec refert quod per gratiam vel gloriam possit hæc creatura fieri impeccabilis: tum quia hic de naturali necessitate loquimur: et hoc modo dicimus necessariam esse legem, supposita conditione naturæ rationalis: tum etiam quia per donum quo talis natura fit impeccabilis, non tollitur, quin sit subdita legi quoad illos actus quos libere exercere potest; sed fit ut indefectibiliter pateat legi. Altera vero pars de utilitate ex priori clara est, quia necessitas in ordine ad finem, utilitatem necessario includit. Item, quia de legibus scriptum est illud, psal. 18: *Lex Domini immaculata, convertens animas*, etc.; et illud, Prov. 6: *Mandatum lucerna est, et lex lux*, et similia, quæ postea insinuabimus, et magnas ostendunt legis utilitates.

4. Verumtamen quia utilitas hæc, vel necessitas non est eadem in omnibus legibus, ad illam exacte declarandam operæ pretium erit, varia genera legum distinguere, et in singulis propriam necessitatem, vel utilitatem explicare: ita enim constabit non solum esse legem in genere, sed etiam in particulari quod sit, quod etiam necessarium est, ut de toto objecto hujus tractatus quæstionem, an sit, plene definiamus: ostendimus enim supra objectum hoc omnes legum species complecti. Erit etiam hoc opportunum, ut intelligantur voces quibus in discursu totius tractatus nobis utendum est.

5. *Legum divisio in varia membra.* — Primo ergo supponere possumus divisionem legis in quatuor membra, quam posuit Plato in Timæo et Phædro, scilicet, in divinam, celestem, naturalem et humanam, ex quibus vocibus secunda non admittitur a theologis, quia vel superflua est, vel erroneam doctrinam continet. Per celestem enim legem factum, et necessitatem quamdam operandi, quæ ex ordinato motu et influxu cælorum provenit, Plato intellexit: unde si intelligat legem illam talem esse, ut vel divinæ providentiæ non sit subjecta, vel rebus omnibus, etiam hominibus, quoad proprias animæ operationes necessitatem imponat, falsam et hæreticam sententiam continet, divinæ gubernationi et libertati arbitrii contrariam: si vero per celestem legem solum intelligat quod Aristoteles dixit, mundum hunc inferiorem conjunctum esse sphaeris cælestibus, ut inde gubernetur, per naturales,

scilicet, influentias et vicissitudines, quæ a Deo semper pendeant, corpora immutent, et non animas, sic non oportuit membrum illud distinguere, quia eo modo quo potest appellari lex, sub naturali comprehenditur, ut monstrabimus. Omissa ergo illa secunda voce, alia tria sunt etiam in usu theologorum, sed in sensu aliquantulum diverso.

6. *Quid sit lex divina apud Platonem et quibus modis usurpetur.* — *Prima divisio legis, in temporalem et æternam.* — Lex ergo divina apud Platonem est ratio gubernatrix universi in Dei mente existens, quam legem etiam theologo agnoscunt, sed legem æternam appellant. Duobus enim modis dici potest lex divina: uno modo, quia in ipso Deo est: alio modo, quia ab ipso Deo immediate fertur, licet extra Deum ipsum sit. Priori modo legem divinam appellavit Plato, theologo vero cum Augustino ut distinguant illam legem ab alia, quam Deus extra se fert, vocant illam æternam: et ita etiam nos appellabimus. De ipsa igitur re, quæ lex æterna vocatur, tam certum est esse in Deo, quam est certum habere Deum universi providentiam, quia per hanc vocem nihil aliud significatur, quam ratio hujus providentiæ in Deo existens, vel aliquod ejus: quo modo autem recipiat nomen et proprietatem æternæ legis, in principio libri sequentis explicabimus. Et hinc facile intelligitur quæ sit necessitas et utilitas hujus legis, est enim eadem quæ divinæ providentiæ: nam, sicut absque divina providentia mundus non posset consistere, ita neque sine hac divina et æterna lege, et omnis utilitas et commoditas, quæ huic mundo provenit ex divina providentia in hanc etiam divinam legem referenda est. Advertit autem D. Thomas, 1. 2, q. 91, art. 1, ad 3, utilitatem hujus legis non esse, quia ipsa ordinatur ad finem, sed quia ipsa ordinat omnia alia ad suos fines per convenientiam media: ipsa enim non potest ad finem ordinari, cum sit ipse Deus, qui est ultimus finis omnium. Tandem ex hac prima lege divina, seu æterna colligi potest prima divisio legis, in æternam et temporalem, supponimus enim nihil esse æternum extra Deum: constat autem plures esse leges extra Deum existentes: ergo præter legem æternam necesse est dari alias temporales, quæ consequenter differunt tanquam creatum et increatum, quia quidquid est æternum, increatum est, et quod est temporale, est creatum. Hinc ergo constat dari legem divinam, id est, in Deo ipso existentem: quomodo autem detur lex divina a Deo proxime lata, pate-

bit ex dicendis. Denique datur lex in Deo ipso existens: hæc enim omnia in idem recidunt.

7. *Secunda divisio legis in naturalem, et positivam.* — *D. Isidorus.* — Ex aliis igitur duobus membris legis a Platone positae secunda divisio legis colligitur, quæ est subdivisio legis creatæ, in naturalem et positivam. Quam divisionem omnes etiam theologo agnoscunt, et est frequens apud Sanctos, sive sub nomine legis, sive sub nomine juris positivi et naturalis. Ut patet ex Isidoro, lib. 2 et 3 Etymol., et habetur in Decret., distinct. 4 et sequentibus, et sumitur ex Augustino, tract. 6, in Joannem, et indicata est a Paulo, Roman. 2, dicente: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*, ut ibi Glossa ordinari notavit. Eadem divisio repetitur in jure civili, Instit. de Jure natur. gentium et civili, et lib. 1, ff. de Justitia et jure. Et Cicero, lib. 4 de Legibus, ex professo probat dari jus naturale prius omni humano. De quo multa etiam habet, lib. 2 de Legibus, et Aristoteles, 5 Ethicor., cap. 7, ubi in eodem sensu distinguit jus in naturale et legale.

8. *Quibus modis lex naturalis apud auctores usurpetur.* — Sed circa legem naturalem advertendum est, variis modis a philosophis, jurisperitis, vel theologis accipi. Plato enim supra legem naturalem videtur accipere pro omni inclinatione naturali indita rebus a suo creatore, qua singula ad proprios actus et fines tendunt. Sicut enim legem divinam esse dixit rationem æternam in Deo existentem, qua reguntur omnia, ita participationem illius rationis creaturis impressam, ut in destinatos fines suos tendant, naturalem legem appellavit: imo etiam D. Thomas, 1. 2, quæst. 91, art. 2, dixit omnia quæ divina providentia reguntur, participare aliquantulum legem æternam, in quantum ex efficacia ejus habent inclinationes in proprios actus et fines. At vero jurisperiti legem naturalem communem esse dicunt, non solum hominibus, sed etiam aliis animalibus; inanimata vero a participatione hujus legis excludere videntur, ut patet ex § 1 Instit. de Jure naturali, etc., et lib. 1, ff. de Justit. et jure.

9. *Lex secundum proprietatem insensibilibus non attribuitur.* — Verumtamen, ut in primo capite notavi, lex non attribuitur rebus insensibilibus secundum proprietatem, sed secundum metaphoram, et ideo de illa priori ac generalissima acceptione legis naturalis, nihil amplius hic dicere necesse est, præter ea quæ in cap. 1 diximus, et quæ infra dicemus de

lege æterna. Animalia etiam bruta non sunt capacia proprie legis, cum nec ratione nec libertate utantur, et ideo non potest nisi per similem metaphoram illis attribui naturalis lex. Quamvis enim in hoc differant ab insensibilibus, quod non solo pondere naturæ, sed etiam cognitione et instinctu naturali ducuntur, qui instinctus est illis quasi lex, et hac ratione possit aliquantulum sustineri illa secunda acceptio jurisconsultorum; nihilominus simpliciter est metaphorica et valde analogica, et ideo etiam nunc illam omittimus: infra enim, lib. 2, cap. 8, explicando jus gentium, sensum proprium illarum legum investigare conabimur.

10. *Quænam sit propria lex naturalis.* — Lex ergo naturalis propria, quæ ad moralem doctrinam et theologiam pertinet, est illa quæ humanæ menti insidet ad discernendum honestum a turpi, juxta illud Psalm. 4: *Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen cultus tui Domine*, ut explicuit D. Thomas, d. quæst. 91, art. 2, ubi concludit legem naturalem esse participationem legis æternæ in rationali creatura. Et in 4, distinct. 33, art. 1: *Quia homo (inquit) inter cætera animata rationem finis cognoscit, et proportionem operis ad finem: ideo naturalis conceptio ei indita, quæ dirigitur ad operandum convenienter, lex naturalis, seu jus naturale dicitur: in cæteris autem naturalis æstimatio vocatur.* Et hoc etiam aperte sensit Cicero, lib. 2 de Legibus: nam post verba supra citata de lege æterna subdit: *Ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata: est enim ratio, mensque sapientis ad jubendum, et ad deterrendum idonea.* Ita ergo hæc lex naturalis dicitur, non solum prout naturale a supernaturali distinguitur, sed etiam prout distinguitur a libero: non quia ejus executio naturalis sit, seu ex necessitate fiat, sicut executio naturalis inclinationis est in brutis vel rebus inanimatis; sed quia lex illa est veluti proprietas quædam naturæ, et quia Deus ipse illam naturæ inseruit. Et ex hac parte etiam est divina hæc lex, tanquam a DEO immediate lata, ut sensit D. Thomas, dicta quæst. 91, et quæst. 94, art. 6, ubi adducit D. Augustinum, 2 Confessionum, cap. 4, dicentem ad Deum: *Lex tua scripta in cordibus hominum: quod dictum est propter legem naturalem; unde dixit in lib. 2 de Sermone Domini in mont., cap. 9, nullam esse animam, in cujus conscientia non loquatur Deus. Quis enim scribit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? Expressiusque hanc legem divinam appella Isidorus, lib. 5*